

1128 ARGUMENTA DE  
persona Christi.

M. ALBERTO  
GRA WERO IN GY-

mnaſio Neērenſi, de eodem articulo & ſi-  
milibus controuerſis, inter Theologos  
Orthodoxos & Caluinianos, orthodo-  
xam doctrinam profitente, proposita in  
duobus diſtinctis colloquiis Kefmarchij in  
arce habitis, ad quæ Sebaſtianus Lamius,  
Caluinista Kefmarcensis nihil ſolidi re-  
ſpondere potuit: quorum vnum eſt habi-  
tum 5. Decemb: Anno c Iɔ. Iɔ. Vc.

alterum verò 29. Ianuarij. Anno

c Iɔ. Iɔ. IV

Vbi ſimil monſtratur, Caluinum tribuere Paulo  
Apoſtolo, quod non recte intellexerit Prophetam  
Dauidem, quando ei ſubtilem deflexionem tri-  
buit, qua in te idem Sebaſtianus Cal-  
uinum tutari voluit.

Eccleſiaſtici cap: 4.

Vsq; ad mortem certa pro iuſticia, &  
Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

BARTPHAE.

1596.



2

EVERENDO, CLA-  
SSIMO ATQVE EXCELLEN-  
timo Viro, D. Aegidio Hunnio, S. S. Theolog:  
etori & Professori in celeberrima Vvitebergen-  
um Academia celeberrimo, & Superintendenti  
Ducatus Saxonici generali, pastoriq;  
Ecclesiz vviteberg: dignissimo:

Nec non  
EVERENDO ET CLA-  
SSIMO VIRO, D. IOHANNI GE-  
o Volckmaro, S. S. Theolog: Doctori & Pro-  
fessori in florentissimo Vviteberg: Lyceo,  
Dominis Mcccenatibus & præceptorib-  
us meis colendis.

QVAERAT A ME QVIS, QVA  
de causa ego hæc argumenta,  
quæ in priuatis colloquiis  
proposita sunt, publicum lu-  
n conspicere voluerim, & cur non po-  
s integræ colloquia, quæm hæc nuda  
umenta consignarim? Is ad utrumq;  
sibi responsum habeat: quod finito  
ori colloquio Sebastianus Lamius il-  
ipsum conscripsierit, & spargere volu-  
inter suos fratres: (octo enim exem-  
plia describi curauit) sed mala fide:  
iserat namq; illa argumenta, in quibus  
in conuictum dixeram, sicuti cum hac

A ij de

de te monui in posteriori colloquio. Quod  
facto etiam facere non potui, quin illa ar-  
gumenta præcipua consignarem, in qui-  
bus satisfacere non potuit, ut ita ipsius  
falsa consignatio refutaretur, & simul o-  
stenderetur, ipsi nullam factam fuisse in-  
iuriam, quando sparsum fuit, illum (in  
conscientia sua vacillantem) satisfacere  
& suæ religionis rationem reddere non  
potuisse. Hanc eandem ob causam non  
integra conscripsi colloquia: quia tan-  
tum iphius falsam consignationem refuta-  
re volui, quod hac delineatione argumen-  
torum tum quo ad S E N S V M (de verbis  
non dico: impossibile enim est ea omnia  
repetere) propositorum fieri posse mihi  
persuasi: ideoq; ordinem in colloquio  
obseruatum hic obseruare neq; potuineq;  
volui. Vobis autem, Reuerendi & Cla-  
rissi: Viri, hanc velitationem inscribere  
volui, quia & innumera beneficia & hanc  
doctrinam verbo Dei firmatam à vobis  
tanquam præceptoribus meis accepi: præ-  
cipue autem ob aliam etiam causam tibi  
Reuerende & Clariss: Domine Doctor  
Aegidi Hunni Mecœnas colende, quia  
à T. R. D. ad hoc officium, quo iam fun-  
gor,

3

gor, vocante Magnifico & Generoso D.  
Gregorio Horwatho, aliter Stansith, de  
Gradecz, Domino in Neérer, aliter Stra-  
ſa &c. delegatus fui, vt videres, quam do-  
ctrinam hic propugnem, & num satisfa-  
cere coner ei, cui præfectus sum & à Ma-  
gistratu meo & à R. D. T. Quæſo, vt  
R. V. D. hanc chartam, tanquam grati-  
mei animi indicium acceptare velint. B.  
V. V. R. D. Straſæ aliter Neérer, Anno  
c I o. I o. IV c. 8. Februarij.

BCU V. R. addictiss:

University Library Glu-

M. Albertus Grawerus.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

4

# ARGUMENTVM

## primum colloquij primi.



V O D C V N Q Y E T A N T V M Hæc in  
secundūm quid est neceſſitio re-  
ſariorum accidens corporis, ſponsa  
illud non requiritur ad ſub  
ſiſtentiam corporis ſimpli-  
citer, prout corpus eſt.

Atqui locus tantum ſecundūm quid, eſt neceſſarium accidens corporis.

Ergo non requiritur ſimpliciter ad ſubſiſtentiam corporis, ut corporis.

Minor probatur: ſi enim locus ſim-  
pliciter & per ſe exigeretur ad ſubſiſtentia-  
am corporis, prout corpus eſt, tum etiam  
omne corpus eſſet in loco: quicquid e-  
nim alicui per ſe & ſimpliciter ineſt, id e-  
tiam omni ineſt ( ſcilicet omnibus indi-  
viduis vnius ſpeciei, vel omnibus ſpecie-  
bus vnius generis ) ut docet Aristoteles  
libro I. Post: Analyt: cap: 4. quia enim  
homo rationalis eſt, quatenus homo eſt,  
etiam omnis homo rationalis eſt. Atqui nō  
omne corpus eſt in loco. Ergo non ſim-  
pliciter & per ſe locus pertinet ad ſubſiſtentiam corporis, prout corpus eſt.

Minor probatur : quia cœlum est extra locum, ut patet tum authoritate summi Philosophi Aristotelis lib: 4. Physica: 5. tum etiam ratione: quia enim locus est superficies corporis continentis, ut docet Arist: in lib: 4. Phy:cap:4. & Philip: Melanthon in Physicis suis, extra cœlum nullus locus esse potest, cum extra cœlum nullum sit corpus continens, ut docet Aristoteles lib: 1. de cœlo, textu 100. & 97. cœlum namq; est ultimum corpus claudens totum mundum (est autem sermo de ultima spæra) & certè cum non detur progressus in infinitum, ut docet Aristoteles passim in Physicis, tandem erit ultimum corpus, supra quod non potest esse aliud corpus continens, & hoc ipsum ultimum corpus claudens, non poterit esse in loco, cum supra illud non possit esse superficies corporis continentis : alias enim supra ultimum corpus continens esset adhuc aliud corpus continens, quod absurdum. Ex his manifestum est, quod locus tantum eatus sit necessarium corporis accidentis, quatenus naturaliter à superficie corporis continentis circumscriptitur: qua conditione sublata, etiam corpus

corpus extra locum esse potest. Cælum enim extra locum est, & tamen verum corpus manet. Quibus positis sic argumentor:

Quicquid subsistit εντω λόγῳ, seu per-Hic inci-  
sona Filij Dei, illud ipsum, quatenus sub-pit primā  
sistit in λόγῳ seu persona Filij Dei, subsi-argumē-  
stit in non loco. tumSeba-  
stiano op-

Atqui humana natura Christi subsi-positum.  
stit εντω λόγῳ, seu persona Filij Dei.

Ergo humana Christi natura, quatenus subsistit in λόγῳ seu persona filij Dei, subsistit in non loco.

Maior est satis manifesta: quia in λόγῳ deest causa, ob quam corpus solet esse in loco: λόγος enim seu persona filij Dei, non est superficies corporis continentis (esset enim aliás res corporea) ideoq; nec locus est, siue Physicus siue metaphysicus: neq; vlla loca sunt in λόγῳ siue physica siue metaphysica. Si itaq; λόγος non est locus, erit non locus. Esset autem λόγος locus, si in λόγῳ subsisteret humanitas Christi tanquam in loco.

Minorem credo neminem nisi Nestorianum negaturum: si enim humanitas Christi non subsistit in persona filij Dei,

A v aut

aut planè non subsistet, aut subsistet extra personam filij Dei. Si extra personam filij Dei, quomodo personæ filij Dei personaliter erit unita, & quomodo quæso illud Deum assumpta erit, ut loquitur D. Athanasius in suo Symbolo?

Ad hunc Syllogismum Sebastianus nihil solidi respondit, imè planè nihil nisi hoc: Quod si corpus Christi illocale sit (Syllogismum autem interea non dissi- luit) fore infinitum. Negaui consequen- tiā, & dedi instantiam de Angelis, qui sunt illocales, non tamen infiniti: & de coelo, quod illocale est: nec tamen infini- tum. Subieci autem: existimare forsan Sebastianum, si omnipræsens statuatur, statui simul infinitum: affirmauit, affe- rendo hanc causam, quod omnipræsens & infinitum sint relata.

### Secundum Argumentum.

**E**X hac response sic argumentatus fui: Vnum relatum non potest esse al- terum, ut pater quatenus pater, non po- test esse filius.

Atqui omnipræsens & infinitum, ex tua sententia sunt relata.

Ergo

6

Ergo vnum non potest esse alterum:  
& per consequens, quod est infinitum  
non potest esse omnipræsens, & vice ver-  
sa, quod est contra ipsum Sebastianum.

Respondit Sebastianus: non esse e-  
andem rationem relatorum, adducendo  
exemplum de duobus amicis: ad quod  
respondi: illud exemplum meam senten-  
tiam confirmare, hoc pacto: Sint duo a-  
mici, qui se mutuò ut relata respiciant: hic  
certè unus amicus non potest esse alter a-  
micus, alias enim unum individuum es-  
set alterum individuum, quod absurdum:  
licet interim rectè dicam, quod unus ami-  
cus sit alterius amicus. Stat itaq; inui-  
ctus adhuc meus Syllogismus, ex ipsius  
responsione deductus: quem resoluere  
non poterit, nisi reuocauerit priorem re-  
sponsionem, quod nimur omnipræsens,  
& infinitum sint duo relata.

Tertium Argumentum.  
**H**inc progresi ad omnipræsentiam  
carnis Christi, in cuius patrocinium,  
sic argumentatus fui:

Si totus Christus adest in hisce terris,  
& totus non est sine humanitate, sequi-

tur etiam humanitatem Christi adesse in his terris.

Atqui totus Christus adest in hisce terris, & totus non est sine humanitate.

Sequitur igitur etiam ipsius humanitatem adesse in hisce terris.

Ad huius Syllogismi præmissas, quando Sebastianus respondere debebat, dedit hanc *ένσεστην*: Si totus Christus est passus, & totus non est sine Deitate, sequitur etiam Deitatem esse passam. Sed totus Christus est passus, & totus non est sine Deitate. Ergo sequetur etiā Deitatem esse passam. Respondi, non esse parem conditionem huius Syllogismi & mei: in hoc namq; committitur fallacia causæ, in consecutione maioris propositionis, quod non fit in meo: meus loquitur de præsentia: hic autem de passione. Præsentia autem & passionis non est eadem ratio. Quando de præsentia totius Christi loquimur, necessum est, ut ubi una est, ibi etiam altera sit natura: alias enim fiet separatio naturarum: si enim sola diuinitas filij Dei, hic in terris est, humana autem natura non adest hic in terris, nonne hic in terris separabitur humana natura à diuina.

diuina. Neq; sufficit, te dicere, esse ean-  
dem diuinitatem filij hic in terris, & in  
cœlo: hinc enim adhuc sequitur eandem  
totam filij diuinitatem in cœlo quidem  
esse vnitam humanitati Christi, hic in ter-  
ris verò non esse vnitam: quomodo enim  
hic in terris vnta esse posset humanæ na-  
turæ, cùm hic in terris humana natura,  
iuxta tuam sententiam, non adsit: &  
quomodo igitur hic in terris λόγος poter-  
it esse incarnatus, cùm caro Christi hic  
in terris, te teste, non adsit: verè igitur hic  
in terris erit excarnatus. Longè verò a-  
lia est ratio passionis: hæc enim quando  
tribuitur toti Christo, determinari ta-  
men potest, iuxta alteram naturam, ut in-  
terea non sequatur separatio naturarum,  
sicuti hæc determinatio expressè legitur  
1. Petri: 4. Christus est passus carne:  
qualis determinatio de præsentia in scri-  
pturis nusquam reperitur: nusquam e-  
nim legitur, Christus adest in his terris  
sua diuinitate. Licet itaq; Christo tri-  
buatur passio secundùm alteram natu-  
ram, interim tamen non sequitur, vel se-  
paratio naturarum, vel tantum dimidium  
Christum esse passum: quamuis enim di-  
uinitas

uinitas non patiatur, tamen hanc passio-  
nem diuinitas Christi sibi appropriat,  
appropriando & assumendo humanam  
naturam, ut ita passio ad totum Christum  
sit referenda. Cum itaque diuersa sit ratio  
praesentiae & passionis Christi, quilibet  
videre poterit, quod non idem colligere  
possimus de passione, quod de praesentia.

N.B. (Quia verò hoc est fortissimum ar-  
gumentum contra nostros Aduersarios,  
Hæc ex- tra collo- paucula hic adiiciam, quæ licet tum omni  
quiū de ex parte in colloquio non fuerint addita,  
claratio- pleniū tamen eandem sententiam ibi  
nis causa addita. propositam ac inconcussum declarant:  
sicuti totus Socrates dicitur bibere vi-  
num, quamuis tantum secundum corpus  
bibat, & non secundum animam, & ta-  
men neque corpus Socratis separatur à sua  
anima, neque tantum corpus Socratis vel  
dimidiatus Socrates dicitur bibere vinum,  
sed totus: bibitio enim hæc ad totum So-  
cratem pertinet, quia & hoc corpus est  
proprium Socratis, & hanc bibitionem  
anima Socratis sibi appropriat, imo eam  
iuuat & promouet: ita etiam totus Chri-  
stus pati dicitur, quamuis secundum car-  
nem tantum patiatur: & tamen neque hu-  
manitas

manitas Christi separatur à Deitate, neq; humanitas tantum passa dicitur, sed totus Christus: passio enim hæc ad totum pertinet Christum, quia & hæc caro propria est ἡ λόγος & λόγος hanc passionem ibi appropriat, assumendo carnem in personam suam, & vires carni suæ subministrando, ut hanc passionem sustinere queat. Ex quibus paret atq; liquet, quomodo passio tribuatur toti Christo, secundum alteram naturam, vt tamen neq; separetur unio, neq; dimidiatur esse Christus passus. De præsentia vero longè alia est ratio: sicuti enim præsentia totius Socrati attribui non potest, ita vt non simul tribuatur corpori & animæ, quoniam alterum si non adsit, totus Socrates non est (quando enim dico, totus Socrates hic adest, rectè etiam colligo, ergo corpus & anima Socratis hic adsunt) ita etiam præsentia toti Christo tribuitur, ut etiam necessariò tribuatur utriq; naturæ: um enim totus Christus consistet duabus naturis, & quidem ita, vt si alterutra absit, non sit totus Christus, quomodo totus Christus adesse poterit in hisce terris, nisi etiam adsit utræq; natura in hisce terris?

Diu-

Diuīnam naturam esse in his terris , non negabis : atqui illa sola non constituit Christum, sed tantum est pars Christi. Si itaq; in his terris non tantum adest pars Christi, sed totus Christus : etiam in hisce terris non tantum aderit diuina natura, quæ <sup>huius</sup> ~~casu~~ est pars Christi, sed e& humana Christi natura : his enim duabus præsentibus, præfens etiam est totus Christus, qui ex illis duabus naturis constat. Atque sic apparet luculentissime , quomodo præsentia in his terris Christo non possit tribui tantum secundūm vnam naturam, vt non sequatur diuulsio seu separatio naturarum in his terris. Quilibet etiam videt discepantiam passionis & præsentiae Christi. Hisce omnibus positis de præsentia Christi in his terris, sic argumentor :

Quandocunq; Christo aliquid tribuitur secundūm vnam naturam duntaxat, ita vt sequatur separatio naturarum : tum id non secundūm vnam naturam, sed secundūm vtramq; tribuendum est Christo.

Sed quandocunq; præsentia in hisce terris tribuitur Christo secundūm vnam duntaxat

luntaxat naturam, tum sequitur separatio  
naturarum.

Ergo quandocumq; præsentia in his  
erris tribuitur Christo, tum tribuenda est  
i non secundūm vnam, sed secundūm v-  
ramq; naturam.

Maior est ἀξιώσις, ex Euangelio Io-  
annisi cap: 1. Verbum caro factum est.  
& Hebr: 2. Assumpsit semen Abrahæ.

Minor hactenus est probata. Hæc de-  
clarationis loco in parenthesi dicta sunt

Syllogismum propositum quando dis-  
oluere non poterat, obiicit contra no-  
stram sententiam hoc modo: Si omni-  
præsentia est communicata, etiam æter-  
itas est communicata, & per conse-  
uens, caro Christi erit æterna.

Respondi, non eandem esse rationem  
mnium proprietatum Dei, quando con-  
derantur quo ad extra: dupliciter enim  
considerari possunt proprietates Dei seu  
iuinæ naturæ, vel quo ad intra, & sic  
ulla ratione distinguuntur: vel quo ad  
extra, respectu creaturarum, & sic τῷ λόγῳ  
distinguuntur: sicuti enim aliud est dam-  
atio, aliud saluatio, ita etiā aliud est iusti-  
a Dei & aliud misericordia Dei, quando  
uo ad extra considerantur: sua miseri-

cordia enim nos saluat: neminem vero  
eadem damnat: quae distinctio etiam ex  
Augustino colligi potest, quando distin-  
guit inter opera Dei quo ad intra, & quo  
ad extra. Hic me accusabat Sebastianus,  
quod falsò allegarem autoritatem Augu-  
stini, qui loquatur non de proprietatibus,  
sed de operibus Dei seu Trinitatis, & vo-  
cet opera Trinitatis quo ad extra indiuisa,  
quo ad intra autē diuisa. Hic quando dixi,  
D. Sebastiane, tu non percipis fundamē-  
tum meæ solutionis & allegationis, inter-  
rupit colloquium, petendo, ut in aliud  
differretur tempus, quod factum est.

## ARGUMENTVM PRI- mum secundi colloquij.

**Q**uartius ex quodam studio Heidel-  
bergensi (qui tum primum venerat  
ex illa Academia) num Paræus adhuc  
esset in viuis: annuit: Num expectaret  
etiam responcionem D. Doctoris Hunnius:  
affirmauit: respondi: Sat solidam habe-  
bit, & citius respondisset, nisi & pluribus  
negotiis fuisset impeditus, & plures aduer-  
sus illum scripsissent: scripsit enim aduer-  
sus eum Pistorius, Huberus, Paræus, &c.

Ibi

Ibi ille studiosus: Non ex multitudine  
scribentium aduersus illum iudicandum  
est: sed ex grauitate rerum, & certe vni-  
cus Paræus sufficeret. Respondi: vix cre-  
do: verum ego nihil dicam de hac re, hoc  
solum miror, quod Caluinus ipsum Pau-  
lum reprehendat, quando ipsi subtilem de-  
flexionem tribuit. Hic Sebastianus or-  
diebatur: certe ob id simpliciter repre-  
hendi non potest aliquis, si quis praetera-  
liorum sententias commodiorem inueni-  
re velit. Ibi cum videbam Sebastianum  
sumere patrocinium Caluini, sic argu-  
mentatus fui:

Quicunq; subtilem deflexionem tri-  
buit Apostolo Paulo in declarandis Pro- Caluinus  
phetarum sententiis, ille corrigit ipsum super Ps  
Spiritum sanctum, qui per Paulum est lo- 65. Item  
catus. super Ps  
S. affir-

Sed Caluinus tribuit Apostolo Pau- mat, Pau-  
lo subtilem deflexionem in declarandis tumid  
Prophetarum sententiis. quod alio

Ergo Caluinus corrigit ipsum Spir- sensu di-  
cum sanctum. ctum erat

Respondit Sebastianus: esse fallaci- ad suum  
am secundum quid: Caluinum non sim- propositum  
pliciter hoc tribuere Paulo, sed secundum delectere  
super 19.

B ij quid, cap: Iohz:

inquit, quid, secundum literalem sensum nimis  
quod Euāgelistē rum, qui colligatur ex Hebræo textu : &  
intempe- quod aliquis aliter Paulum possit intelligere.  
stiuē tra- Data hac responſione ſic argumen-  
tatus fui.

hant Pſa:

22. Item

quod ne-

gligant

figuram

& à genui

no ſenſu

diſcedat.

Item ſu-

per 3. cap:

Gene: in-

quit, ab illis vio-

Ic̄ter tor

queri ver

bum ſe-

minis

qui id fin- est, ſi nos Lutheranos ruditatis arguant.

gulariter accipient.

Atq; hoc facit Paulus Gal: 3.

quod tamen negat Caluinus ſuper Epift: Gal: 3.

& Paulus expreſſe dicit:

Non in multis, ſed in vno.

Qui secundum quid tribuit Paulo  
ſubtilem deſflexionem, is secundum quid  
corrigit Spiritum ſanctum. Sed illud fa-  
citat Caluinus. Ergo secundum quid cor-  
rigit Spiritum ſanctum. Nec ſufficit te  
dicere, alium potuisse aliter ſecundum li-  
teralem ſenſum & Hebræum textum in-  
telligere Paulum, tum enim non ipſi Pau-  
lo, ſed alij hoc vitium erat tribuendum.  
Ibi Sebaſtianus : Non volo omnia verba  
Caluini defendere. Hic apparet egregius  
fructus Caluinianæ doctrinæ : oculatio-  
res enim ſe putant ipſo Apoſtolo Paulo, ut  
nihil dicam de Christo. Mirum itaq; non  
ſi nos Lutheranos ruditatis arguant.  
R epetiſſe quendam Syllogiſmum prio-  
ris colloquij, qui talis eſt :

Vnum

M

Vnum relatum non potest esse alterum : ut pater quatenus pater , non potest esse filius. Atqui omnipræsens & infinitum, iuxta tuam sententiam, sunt duo relata. Ergo vnum non potest esse alterum, & per consequens, quod est infinitum non potest esse omnipræsens.

Vicissim obiecit, non esse eandem rationem omnium relatorum, afferendo idem exemplum de duobus amicis : ad quod respondi ( quod autem tūm in duabus putaminibus ostendi , iam ostendam in literis ) sint duo amici, vñus A. alter B. sint etiam duo relata : hic licet amicus B. sit amici A. amicus, tamen amicus B. non est amicus A. & vice versa. Hic respondeat Sebastianus nihil aliud, qāum se non esse adeò perfectum Logicum, &c.

### Tertium Argumentum.

**Q**uando Sebastianus repetebat, me falso allegasse Augustinum, dixi inter alia, & cur tu Domine Sebastiane adeò insignem iniuriam facis Iacobo Andreæ, quando ipsi in tuo scripto tribuis : sensisse illum, quod Christus in die Ascensionis ne ad latum vnguem discesserit à terra :

B ij quæ

quæ accusatio est falsissima, committis enim fallaciam compositionis & diuisio-  
nis: adiicit enim Iacobus Andreæ, quod Christus ne ad latum vnguem discesserit à terris, quod veniret ad Patrem: hæc po-  
steriora verba tu omittis, in quibus expri-  
mitur causa, cur sic loquatur: verissima  
autem est hæc sententia Iacobi Andreæ:  
quia Christus ne ad latum vnguem disces-  
sit à terris in sua Ascensione, propter hanc  
causam, ut veniret ad Patrem: Pater enim  
iam fuit in terris, imò fuit in ipso Christo  
& Christus in illo. Interim tamen non  
negat Iacobus Andreæ, quod ob aliam  
causam Christus in sua Ascensione, reue-  
ra localiter discesserit à terris.

### Quartum Argumentum.

**Q**uando Sebastianus obiiciebat, The-  
ologos nostros inuicem sibi contra-  
dicere, obieci Antilogiam Pecelij & Vr-  
fini, quorum hic in colloquio Maulbrun-  
nensi, concedit omnipotentiam datam esse  
humanæ naturæ, ille verò negat in obie-  
ctionibus suis Theologicis. Respondet  
Sebastianus, committi fallaciam à dicto  
secundum quid: Pecelium namq; non  
sumpli-

12

simpliciter affirmare, personæ  $\Gamma\tilde{\epsilon}\lambda\delta\gamma\mu$  datam esse omnipotentiam (vbi interea apparet quod non conciliauerit hos duos: sed tantum defendat sententiam Pezelij) sed personæ, quatenus missa est. Verum ego missa hac responsione, quæ planè Ariana est, contra sententiam Pezelij sic obieci:

Secundum quam naturam Christus est filius hominis, secundum eam etiam data est Christo omnipotentia: quia æterna potestas data est filio hominis, ut legitur Dan: 7.

Sed Christus secundum carnem est filius hominis, ut docet Paulus Rom: 1. Ergo Christo secundum carnem data est omnipotentia.

Negabat Sebastianus me loqui cum scriptura, & interturbabatus ita hic sermo aduentu alterius cuiusdam. Num autem locutus fuerim absq; scriptura, patet ex ipso Syllogismo.

### Quintum Argumentum.

R Epetebatur Syllogismus de illocalitate corporis Christi:

Quodcunq; subsistit in illocali, illud etiam est illocale.

Sed corpus Christi subsistit in illocali,  
videlicet in λόγῳ.

Ergo etiam corpus Christi eatenus est  
illocalē.

Respondit Sebastianus : Quodcunqz  
subsistit in spirituali, est spirituale. Sed  
corpus Christi subsistit in spirituali. Ergo  
corpus Christi etiam eatenus est spiritua-  
le. Respondi non esse eandem ratio-  
nem vtriusqz Syllogismi, meus enim de  
præsentia seu existentia loquitur : ipsius  
autem de essentia : ideoqz etiam sit, ut ma-  
ior propositio Syllogismi mei sit vera :  
quia quando corpus Christi subsistit in  
illocali, tum eatenus ibi tollitur locus tan-  
quam externum accidens corporis Chri-  
sti: deberet enim aut illud ipsum illocalē  
esse locus, aut in isto illocali esse locus, si  
corpus Christi eatenus esset in loco, qua-  
tenus subsistit in illocali.

Cūm autem neutrum horum sit, tolli-  
tur causa, ob quam corpus Christi deberet  
esse locale. Maior autem propositio Syl-  
logismi Sebastiani est falsa : quia non agit  
de existentia & externo accidente quo-  
dam : sed de essentia corporis Christi, quę  
non tollitur quatenus subsistit in spiritua-  
li : non

*li : non tollitur enim causa ob quam corpus Christi deberet esse eatenus corporeum: subsistentia enim illa in spirituali non adimit ipsam essentiam corporis, sicuti subsistentia in illocali tollit localitatem corporis Christi : ut autem magis tollatur ambiguitas sic argumentor :*

*Quocunq; subsistit in non loco, illud eatenus subsistit extra locum.*

*Sed quando corpus Christi subsistit in λόγῳ, subsistit in non loco : λόγος enim locus non est.*

*Ergo corpus Christi eatenus subsistit extra locum.*

*Hic cum respondere debebat Sebastianus, dixit se suo tempore responsum. id est, (tum interpretante D. Generoso Gregorio Horwath, aliter Stansith,) ad Calendas Graecas.*

### *Sextum Argumentum.*

*D*Eniq; repetita fuit allegatio Augustini: ibi declaravi meam mentem: quod non voluerim, Augustinum expressè ponere hanc distinctionem proprietatum Dei, sed ex distinctione operum Dei ab ipso tradita, optimè posse colligi: sicuti e-  
B v nim ope-

nim opera Dei quo ad extra non sunt ea-  
dem (volo autem, quod non eadem sint  
inter se, non autem volo quod sint diuisa,  
respectu personarum Trinitatis, ut Seba-  
stianus mihi tribuere volebat) ita etiam  
proprietates Dei, quo ad extra considera-  
tæ respectu creaturarum non prorsus &  
simpliciter sunt eadem, sed ἡ λόγω distin-  
guuntur: sicut enim damnatio & salua-  
tio distinguuntur: ita etiam iustitia &  
misericordia Dei distinguuntur tanquam  
causæ à quibus proueniunt: damnatio ve-  
rò & saluatio realiter: iustitia verò & mi-  
sericordia Dei, quatenus ad extra consi-  
derantur tantum ἡ λόγω. Obiecit Seba-  
stianus: tantum in creaturis esse hanc di-  
stinctionem, non in Deo ipso. Respondi:  
verum esse quod sit in creaturis tanquam  
in obiectis, tamen etiam esse referendam  
ad proprietates Dei quoad extra conside-  
ratas: tanquam causas à quibus. Si enim  
simpliciter & prorsus non distinguuntur  
proprietates Dei quo ad extra, tum simpli-  
citer & promiscuè licet dicere, vas iræ esse  
vasa misericordiæ Dei, & Pharaonem si-  
mul esse vas misericordiæ & iræ Dei. Cur  
igitur Paulus adeò accuratè inter hæc di-  
stinguit

stinguit Rom: 9. hæc autem est tantum  
 distinctio rationalis, & quidem in scriptu-  
 ra fundata, quod negabat Sebastianus  
 (poscebat enim ut hanc distinctionem  
 probarem ex scriptura, quod etiam feci, ut  
 etiam Scholasticos Theologos adduxi)  
 non autem realis. Hic cum Sebastianus  
 premebarur, volebat enumerare quid alij  
 sentirent, & quomodo à me discreparent  
 (quamuis falso) sed ego aliquoties petiū  
 ut iam mihi responderet. Verùm dixit, se  
 suo tempore responsurum, hoc est, nun-  
 quam, quia tempus certum non vult con-  
 stituere.

Si Sebastianus in hisce sibi iniuriam  
 fieri putat, peto ut de iisdem argumentis,  
 præsentibus & excipientibus Notariis,  
 publicè vel priuatim in eum colloquatur:  
 paratus enim sum, Deo volente, eadem ex  
 verbo Dei demonstrare, sicuti antea de-  
 monstrauī. Et certè non denegabit Se-  
 bastianus, si de sua religione in conscién-  
 tia sua certus fuerit. Quod attinet ad sum-  
 ptus, qui fortasse possent requiri in illo col-  
 loquio mei & ipsius respectu, illos meus  
 Magistratus, Generosus Domi: Gregori-  
 us Horwath aliter Stansith de Gradecz,  
 Domi-

Dominus in Neērer, lubentissimè impendet. Si verò omnino respuerit colloquiū, & scriptis voluerit respondere, peto ut non obiter generalia quædam more suo proferrat, sed ad ipsos neruos Syllogismi respondeat.

## TRIA POSTVLANTVR à Domino M. Grawero.

1. **Q**via cùm faceret mentionem distinctionis attributorum Deitatis ad intra & extra, allegavit Augustini libros de Ciuitate Dei, postulatur ab eo ut nominet librum & caput.
2. Quia allegauit, quòd Caluinus dicat Paulum Apostolum nimis subtiliter deflectere verba Prophe- tarum, indicet vbi id Caluinus fa- ciat.
3. Quia Sebastianum Ambrosium accusauit, quòd locum Iacobi Andreæ de Ascensione mutilatè cita- uerit

45

uerit, annotet, vbi id Sebastianus  
Ambrosius faciat.

Hæ quæstiones sunt missæ 4. Februarij  
Stylo veteri Anno CL. I. IV.

AD TRIA M. ALBERTO  
GRAWERO proposita postulata,  
Responsio:

In qua si quidpiam D. Sebastianus  
desiderat, ipse quoque significare  
meritò id tenetur.

**Q**uod ad primam quæstionem attinet: respondetur, aliquoties dictum  
fuisse Sebastiano, se M. Graweri allegatio-  
nem non rectè intellexisse: Non enim de  
attributis, sed de operibus distinctionem  
allegauitquam & Sebastianus concessit.

Ad secundam respondetur: ex Calui-  
no super Psal: 68. vers: 19. vbi hæc sunt  
verba: Cæterūm quia locum hunc Pau-  
lus SYBTILIVS ad Christum deflexit ad  
Ephes: cap: 4. ver: 8. videndum est, quām  
benē hoc cum mente Dauidis conueniat.  
Item super 19. cap: Ioh: ve: 23. Locus ta-  
nen quem adducunt (Euangelistæ) ex  
Psal: 22. videtur INTEMPESTIVE ad  
præsen-

1.

2.

præsentem causam trahi. Nam cùm illic  
queratur Dauid, se hostibus prædæ fuisse  
**M E T A P H O R I C E** sub nomine vestium  
sua omnia designat : ac si vno verbo dice-  
ret, spoliatum se & nudatum ab improbis  
fuisse. Quam figuram dum negligunt E-  
uangelistæ à natuuo **S E N S V D I S C E D V N T**.  
Item ad Ephe: 4. ver: 5. Quia nonnihil à  
**G E N V I N O** **S E N S V** hoc testimonium DE-  
TORSIT Paulus, ut proposito suo accom-  
modaret : impij **C U M** criminantur , quasi  
scriptura abusus fuerit, &c.

3.

Ad tertium postulatum : locus est in  
defensi: Orthod: doct: contra D. Grego:  
Horwath fac: 116. vbi hæc sunt verba :  
quod Christus in die Ascensionis ne ad  
latum quidem vnguem aut pilum à terra  
discesserit, &c. Hic desiderantur hæc ver-  
ba, quo veniret ad patrem : quæ hoc loco  
omissa, in Antithesi autem sunt addita.  
Consistit autem hic neruus : quia enim  
pater est vbiq;. Ergo etiam in terris. Qua-  
re igitur opus habuisset locali ascensu vt  
ad patrem veniret, cum fuerit in terris? In-  
terim non negat Iacobus Andreæ , quod  
ob aliā causam localiter à terra discesse-  
rit, &c. vt patet in disp: Tub: An: 1582  
edita

edita Thesi: 35. Verba sunt hæc: Externus autem & visibilis ascensus, de quo historia ascensionis loquitur, et si localis fuit, quando corpus Christi à terris in sublimè  
elevatum, ab oculis discipulorum per numerum suscepsum fuit: eo tamen solo ascensionis Christi historia nequaquam definienda est, sed sessione quoq; ad dextram Dei patris omnipotentis, quo nomine ascensus Christi ab ascensu Enoch,  
Eliæ, & omnium sanctorum discernitur. &c.

Hæc responsio eodem die conscripta: sequenti transmissa est.



Imprimebat Dauid Gutgesel.  
M. D. XCVI.

